

Tobias. Pars I. Cap. II.

601

Ecce hic Tobias. Iste custodit animam suam, hic sanctus est. Hæc talis ancilla non seruit vitii, animo libera, inter spinas rosa est. Quod Origines per præcæ legis sanctos confirmans: *Qualis fuit Melchisedech*, inquit, *in medio Chananæorum, qualis Abraham in medio Chaldeorum, inter profanos sanctus, inter obscenos mundus, pius inter impios. Sunt etiam in orbe, non dubitem, eiusmodi latentes sancti, quos difficile est digitis demonstrare, & dicere: hi sunt. Isti custodiunt animas suas. Deus defendit illos ab omni vitiorum turpitudine.*

Vnicus talis homo plures est apud Deum, quàm aliorum multa millia. Quod Sitacides apertissimè confirmans: *Melior est*, inquit, *vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Hoc Chryostomus expendens, & idem omnino adueniens: *Melior est*, inquit, *vnus faciens, & voluntatem Dei, quàm innumeri peccatores.* Dauidi Regi olim à populo dictum: *Tu vnus solus pro decem millibus computaris.* Idem hic vsurpare liceat in hominem inter improbos tam castis & probis moribus viuentem. Hic vnus solus computatur pro decem millibus. Multitudo vitii fauens non curanda quidquam, nec sectanda. Quod Deus expressissimè precipiens: *Non sequeris*, ait, *urbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia, vt à vero deus. Nec enim refert, quàm multi, sed quàm boni.* Socrates imprudentissimum iudicat, qui vnicum adulterinum nummum reiecit, vt monetam improbam, & marsupium his nummus plenum admittit, vt pretium non spernendum. Argentum falsum, non ideo probum est, quia multum est: vitia non ideo laudanda, quia plurimos habent cultores & patronos. Laurigeri multi, pauci Phæbi. Eam ob rem optimus princeps Mathathias, cum suaderetur ei à multis, vt Antiocho regi pareret, & præsentem sese necessitati attemperaret, voce generosissima dixit: *Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ego & filij mei & fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus, non est nobis vile relinquere legem & iustitias Dei.* En germanum Tobiz imitatore. Hic geminum documentum exactius obseruandum.

Eccl. 16. 3.
Chryst. 8.
in Ab. A.
2. Reg. 18. 3

Exod. 23. 2.

1. Machab. 2. 19. 20. 21.

Duplex documentum.

§. III.

Cum irent omnes ad vitulos aureos, &c. Mundum inspicere, imò teipsum intueri, ad vitulos aureos nemo non operari. Pecuniæ obediunt omnia.

Scilicet uxorem cum dotes, fidemque, & amicos, Et genus, & formam regina pecunia donat.

Dat census honores, inde grauis iudex, inde seuerus eques. Atheniensium nummi boue, Peliponcorum testudine signati. Hinc verum & vetus verbum: Virtutem & sapientiam vincunt boues, vincunt testudines. Quantum quisque sua nummorum seruat in arca, tantum habet & fidei, religionis, nobilitatis, ingenij, dignitatis.

*Protinus ad censum; de moribus vltima fiet
Quæstio. Quot pascit seruos; quot possidet agri
Insera? Quam multa magna que paropside cœna?
Quantum quisque sua nummorum seruat in arca
Tantum habet & fidei.
O ciues, ciues quærenda pecunia primum est.
Virtus post nummos.*

Aurum potest omnia. Quiduis nummis præsentibus opta. O igitur beatus vir, o ter beatus, qui post aurum vitulosque aureos non abijt!

Vitulus argentum est auro, virtutibus aurum.
Quæstio hic fit, num fusiles hi vituli è puro puto auro sint constati: aio, non vitulos fuisse, sed vitulorum capita, eaque aurea. Hæc illa Hebræorum idola, quorum effigiem in Agypto vtique viderunt, & ad suos ritus impiè transferunt. Vitulari, præcis erat lætitia exultare, vt amenitate vernæ pœcudes in pratris solent, Quibus hominum à suo protoplasto suos habet

Hor. loc. cit.
An hi vituli fusiles è puro puto auro sint constati.

impetus, & procurus, seu latentem potentiam, seu exultantem lætitiã, aut vehementem exandescantiam aut terreticam & lacrymis exundantem tristitiã. Hinc propensioncs & affectus diuersissimi: alij in aliud feruntur, sua quemque trahit voluptas, eaque sibi dissimilima. Sunt, quibus summæ sit voluptati viles animas ad iurgia & pugnos mutuos concitare. Alij portando, alij ludendo, aliqui venando plurimum oblectantur. Alij quorum indoles summis studiis quærit nummos, alij honores & dignitates aucupantur industria incredibili, plurimi ad cultum pompæque vestium curam atque operam omnem conferunt. Iuuenilia desideria aurea vitulorum capita. Timotheum commonefaciens Paulus: *Iuuenilia*, inquit, *desideria fuge.* Cum igitur omnes ad vitulos eant aureos, & suam quisque cupiditatem ac libidinem sectetur, vos soli, quicumque in rem vestram sapitis, custodite animas vestras, iuuenilia desideria fugite. Exemplis optimis præit Tobias. *Hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat ad Dominum Deum Israël.* Ninive, vbi Tobias habitabat, colluies erat idololatriæ, vitiorum officina, & tamen ab omni sese turpitudine Tobias abstinuit. Hic nempe solus. Neminem piget virtuti solum operari; nec enim pigeret, si posset, vel solum celo frui, Dei aspectu potiri.

II. Deus subinde præmium in hac etiam vita tribuit, seu nullam actionem bonam mercede sua destituit. Hæc illa Numinis paterna in suos est prouidentia. In exilio Tobias longe fuit felicior, quàm in patria; Deus illum periculis plurimis subduxit, & eas concessit facultates, quibus familiam honestissimè aluit, insuper & egenos iuuat. Macello & lanienæ destinatus à Sennacheribo rege in celulo euaſit, à Gabelo pecuniam mutuo datam recepit, optatissimum filij matrimonium vidit, visum perditum recepit, ætatem longissimam vixit. Secutum diuinæ prouidentie illum protegit. *Benedictio Domini super caput iusti*, dixit Salomon: quod verissimum fuit de Tobia.

Anno Christiano millesimo sexcentesimo trigesimo primo Vesuuium montem ea egit intemperies, vt à mille quingentis annis nihil tam terribile visum, auditum, lectum credatur. In eiusmodi terræ motu, qualem & Plinius secundus narrat, qui sub dio agebant, ceruicalia capitibus imponebant, & lineis constringebant, ne à volantibus lapidibus læderentur. *Beatus vir qui in sensu cogitabit circumspiciendum Dei*, ac prouidentiam infinitam, quæ omnia circumspiciendo inuictur & lustrat, omnia rectissimè disponit, ordinat, regit ac gubernat, *Omnes via hominis patens oculis eius: spiritum ponderator est Dominus.* Huic igitur, *Dominus reuela opera & dirigentur cogitationes tue.* Quidquid agis, ad Deum, & ad vltimum finem tuum referas, & diuinæ prouidentia amantissimè sepe, & in omni loco te proteget. Hoc ceruicali capiti tuo hæreat, & nulquã nõ tutus ibis. Diuina prouidentia non solum ceruical est mollissimã, sed aduersus mala & pericula firmissimum scutum, præsidium tutissimum. Hæc imponamus capiti, & in via, quæ ad superos ducit, pergamus. Sub hoc ceruicali, sub scuto isto non potest lædi, nisi, qui non vult defendi.

2. Tim. 2. 22.

Tob. 1. 6.

Prou. 10. 6.

Similè describit Pl. Iun. 1. 6. ep. 20. fin.

Eccl. 14. 22.

Pr. 16. 2. p.

Omnes actiones ad Deum vt finem vitium referenda.

CAPVT III.

Tobias in cogitando Deo assiduisissimus.

Tobias adè honestè & sanctè se gessit, vt rex Salomafar hunc captiuum suum eximè amarit, cumque gratia non simpliciter honorauerit. Nam Tobias integrum erat eundi, quò veller, agendi quod liberet. Deinde ad insigne in aula officium adscitus est. Erat enim, quod Græci dicunt *εὐπασις*: quidquid emendum,

Tobias ad insigne officij in aula adscitus est.